



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 859. Usque Ad Annum 887

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117875

§. 39. Translatio Frotarii ad Ecclesiam Bituricensem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66112)

Hæc Epistola prima Septembris anno o-Sæculum IX.
 Stingentesimo septuagesimo sexto, Indi- A.C. 876.
 ctione decima ineunte, data est, omnium
 prima, quam a Joanne Papa VIII. scri-
 ptam accepimus. Alia, eadem die da-
 ta, Ludovico Regi Germaniæ, cujus
 mortem Papa necdum scire poterat, scri-
 pta est. In ea Papa conquerenti Ludo-
 vico, quod Imperator ejus frater Hære-
 ditatem sibi debitam præripuisset, re-
 spondet, Imperatorem querelas ad Se-
 dem Apostolicam priorem detulisse, nec
 posse se Sententiam pronunciare, prius-
 quam utramque partem audiisset. Ce-
 terum Ludovicum ad pacem conser-
 vandam hortatur, & nemo non videt,
 Papam noluisse offensum sibi habere Im-
 peratorem, a quo sperabat auxilium.

§. XXXIX.

*Translatio Frotarii ad Ecclesiam
 Bituricensem.*

Interim Papa, nuncio accepto, quod Le-
 gati sui Leo & Petrus Ticini essent,
 datis literis iter velocissime facere jubet,
 cumque Romam pervenissent, inter alia
 ab iis percepit, quod Normanni conti-
 nuis incurfibus provinciam Burdegalen-
 sem usque adeo vastassent, ut in ea Fro-
 tarii Archiepiscopi opera prodesse non
 posset. Ergo, ut huic Episcopo campum
 latiore

Ep. 6. 7.

Sæculum IX.

A. C. 876.ep. 8. 13. 34.
37.

latiorem aperiret, in quo pro salute animarum talentis sibi datis uteretur, eum, ab Imperatore rogatus, ad Sedem Bituricensem morte Wulfadi vacantem transtulit, addita conditione, ne illa translatio futuris temporibus in exemplum trahi posset, utpote contra Canones & urgente necessitate facta: Hæc dispicimus ex Epistolis Papæ ad Carolum Imperatorem, ad Clericos populumque Bituricensem, qui Frotarium sibi expectabant, ad Episcopos illius provinciae & ad ipsum Frotarium datis. Quibus Epistolis apposita est dies vigesima octava Octobris anno octingentesimo septuagesimo sexto. In iis vero discimus requisita ad Translationem necessaria, nempe quod Ecclesia, quam Episcopus deserit, sit vastata, & a Clericis populoque Ecclesiae, quam adit, expetatur.

§. XL.

Papa auxilium ab Imperatore poscit.

ep. 23.

Pontifex, duos Episcopos Ansegisum & Adalgarium ab Imperatore Romanum ad se legatos dimittens, complures Epistolas deferendas iis tradidit. Prima die decima quarta Novembris data est, in qua Gratias dicit Imperatori, quod ipsos ad se misisset; *Verumtamen, inquit, non potuerunt effectui dare, quod voluissent, ad comprimendos Ecclesie Romanae*